


Vg  
7007





C  
D  
s

Co





Or. 217.  
COLLOQVIVM  
CLARISSIMO

D N. THEOLOGORVM

SITATORVM, CVM D. VRBA-

no Pierio, habitũ anno M D X C I I,

die X X I Iulii.

*Bona fide ab illo qui interfuit, exceptum.*

D N. VISITATORVM NOMI-

NA TERTIA AB HAC PA-

gina ostendet.

Pfalm. X X X V, v. 4.

Confundantur & reuereantur quærentes  
animam meam: auertantur retrorsum, &  
confundantur cogitantes mihi mala.



c l o I o x c I I I I.



C  
D  
v

I  
D.

**S**  
de  
mo  
ex o

Du  
visi  
ex o  
nin  
cer  
ter  
illu





# COLLOQVIVM<sup>3</sup>

DN. THEOLOGORVM

VISITATORVM CVM D.

Urbano Pierio, bona fide excep-  
ptum ab illo qui in-  
terfuit.

INTERLOCVTORES SVNT

D. D. MIRVS, PIERIVS, MVL-  
LERVS, HVNIVS, N. N.

PRÆFECTVS VIGIL.

**A** NNO MDCXII, die Iulii XXI,  
cum theologi visitatores D. Vr-  
banum Pierium per præfectum  
vigilia hora quinta vespertina,  
de suo ad illū in custodia aduentu, vix præ-  
monuissent, continuo subsequuti sunt, & ubi  
ex ordine consedissent, sic ab illis cœptum.

MIRVS. Cum ex mandato illustriss.  
Ducis Saxonix, &c. ad nos deuoluta sit  
visitatio, voluimus etiam te D. Urbane,  
ex quadam commiseratione (nullum e-  
nim de te mandatum habemus) in car-  
cere tuo visitare, & audire num in viam  
te reducere possimus; ac proinde apud  
illustriss. Principem pro te, si veritati ma-



nus dederis, libenter intercedemus, ut ex hoc carcere dimittaris. Constat autem tibi quod a Formula concordie, cui subscripsisti, & a Lutheri doctrina, quam in Marchia professus es, recesseris, & in his terris damnatos errores Caluonianos sparseris. Ut igitur tibi, coniugi, & liberis confulas, agnosce errorem, & ad mentem meliorem redi. **PIERIVS.** Habeo gratiam reuerendis & clarissimis dominis doctoribus pro visitatione; & precor Deum, ut institutum vestrum in ipsius cedat gloriam, & ecclesie aedificationem: spero quidem vos mihi bene cupere, & de te praesertim D. Mire; ut, cuius fidem ante hac expertus sum, sicut tu vicissim meam, omnino hoc mihi persuadeo. Si vero est animus vobis mecum disputandi & colloquendi, alio loco & tempore hoc fieri oporteret: aut, si omnino hic conferre mecum volueritis, opus mihi fuerit arbitris & notario.

**MVLLERVS.** Non erit disputatio, sed tantum amica collatio. **PIER.** Si ea in nullius debet fieri praesudiciu, esto: verum postulationi vestrae de agnoscendo & reuocando errore, ut, cuius mihi non  
sum



sum conscius, locum dare bona consci-  
entia nō possum. Libro enim Concor-  
diæ neq; simpliciter subscripsi; cui meæ  
assertionis testem habeo viuum adhuc  
D. Cornerum, neq; ab vniuersa *Lutheri*  
*doctrina*, quam vocant, prorsus recessi;  
neque etiam aliam Custrini in Marchia,  
quam in his terris, doctrinam sum pro-  
fessus: id quod multis argumentis, si ea  
audire vobis lubet, manifestum faciam.

M I R. Lutheranos nos vocamus non  
respectu personæ Lutheri, (neque enim  
in Lutherum, Caluinum, Paulum vel  
Cepham baptizati sumus) sed respectu  
doctrinæ, quam ex verbo Dei illustra-  
uit, & contra aduersarios Calvinistas de-  
fendit. Hanc vtrum pro vera agnoscas,  
nobis indica. In Concordiæ vero libro  
nomen tuum simpliciter subscriptum  
reperimus. Debuisses ad Electorem  
Brandeburg. scribere, & apud illum de  
recusata subscriptione te excusare.

P I E R. Ad vtrumq; respōdeo. 1; Qua-  
tenus Lutherus, ex, & cum verbo Dei  
loquitur, & veritatem defendit, assenti-  
or illi: sicut similiter Caluino: non pro-  
pterea quod Lutherus vel Caluinus il-



lud dixerit aut scripserit, sed quia Christi verbo est consentaneum; atque ideo neque Lutheranus sum, neq; Calvinianus, sed Christianus. 11; Fateor nomen simpliciter subscriptum esse: quia volebat Elector Brandenburg. addi conditionem; sed illa fuit referenda ad commissarios theologos: quod & ego feci. At respondit mihi Musculus, presente Cornero, se quoq; habere quod in libro isto reprehendat: Imo ( inquit ) suffurati mihi sunt subscriptionem meam homines scelesti: sed quid faciam? quidquid facio, hoc facio propter bonum pacis; idem tu facias: docebit nihilominus unusquisq; quod haectenus docuit. MVL. Fuit isthæc tua tergiuersatio & deceptio, ac proinde non fecisti quod te honestatis ratione facere decuit. PIER. Bona, quæso, verba D.D. si enim dixeris quæ volueris, iterum audies quæ nolueris: & te precor D.D. Mire, vt continues colloquium: nō enim possum ferre hominis istius importunitatem. MIR. Omnino non debuisses subscribere, nisi doctrinam in libro contentam approbasses. Scis enim subscriptores se  
 in fine



in fine libri obstrinxisse, quod cum illa doctrina velint comparere iniudicio Dei. PIER. Recte. Et hæc ipa causa me mouit, vt licet simpliciter subscripsissem. H V N I V S. Audite, iam fateatur se simpliciter subscripsisse. PIER. Audite me prius: etsi, inquam, simpliciter subscripsissem, tamen publico scripto subscriptionem meam reuocaui, & remissionem peccati, subscriptione illa commissi, apud Christum & ecclesiã deprecatus sum: quia cum illa doctrina in conspectum Christi venire non audeo. MIR. Quid igitur reprehendis in Concordia? PIER. Rogauit ante hac D. Mullerum, vt communicaret mihi exemplar, me ordine errores notaturum; sed obtinere illud non potui. Si vero nunc eos enumerare debeam, non patietur hoc temporis angustia, & vos erga me reddidero acerbiores. MIR. Quidquid sit, subscripsisti semel, & iterum recessisti. PIER. Promittebat nobis D. Cornerus Lubusii subscriptionẽ non fore ratã ante Synodum, quæ Magdeburgi propediem cogenda esset. M VL. Et quid opus foret Synodo, facta



iam subscriptione? PIER Vt si liber a Synolo, in qua liberæ essent futuræ voces, approbaretur, postea demum e-deretur: quod numquam fore ego mihi polliceor. MIR. Nō poteris omnino negare, e non fuisse Concordiæ approbatorem. Meministi enim te aliquādo, cum Custrini essem, me conuenisse, & de iniuria peristeri cuiusdam, qui te errorum insimulasset, conquestum fuisse, & vbi res ad Theologos & consistorium delata esset, te ex Concordia defensionis arma deprompsisse. PIE. Optime memini, quid Custrini actum: verū alii erāt, & quidem grauiissimi, qui mihi ab illo homine affingebantur errores: quod videlicet docuissem; *Dum Christi diuina natura cibasset quinque millia hominū in deserto, humanam eius naturam interim nauigio super mare vectam fuisse; quæ certe hæresis est, cuius vel ipsum pudêret Nestorium.* Item, *me omnipotentiam & veritatem Christi negasse; & alia eiusmodi.* MIR. Erat tibi tamē etiam controuersia aliqua de ascensione Christi, & de communicatione Idiomatū; & scis me tibi sententiam meam breuiter coniecisse



cisse in chartam. PIER. Sic est. Dixeram *Ascensionem Christi factam esse localliter, & circumscriptiue*, quod ille negabat; & volebat corporis Christi Ubiquitatem probare ex dicto, *Data est mihi omnis potestas*. De hoc ubi apud te fuifsem conquestus, inter alia mihi concessisti, *omnem potestatem*, in illo dicto non significare *omnipotentiam Dei absolutam*. MIR. & MUL. Quid igitur si nō illam? PIER. Significat iuris & dominii Christi manifestam vsurpationē. Sed dicam tibi tria formalia: Volebas per omnem potestatem intelligi oportere exercitium omnipotentis gubernationis. Verum illud minus recte. Omnipotens enim gubernatio præsупponit omnipotentem naturam. HVN. Recte, ἐν ἐπὶ πᾶσι ἰσχύει. MIR. Sed ad propositum. Quatuor sunt præcipua capita, de quibus inter nos & Calvinistas controuertitur: 1, *de Cæna*. 2, *de persona Christi*. 3, *de Baptismo*. 4, *de Prædestinatione*. De his tuam audiemus sententiam. Sentis ne igitur de Cæna cum Luthero? PIER. Sentio, ubicumque cum Scriptura loquitur: vt primo, quādo Sacramenta nominat, Si-



*gna & Sigilla gratie:* secundo: quando discernit in Cæna inter sacramentū & corpus. M V L. Quid, discernit ne inter illa? P I E R. Imo tantum inter se differre illa dicit, quantum Oriēs ab Occidente. H V N. De ferro ignito loquitur: Licet ferrum & ignis distent, vt Oriens & Occidens, tamen ignem de ferro ignito prædicari. P I E R. Et inter sacramentum & corpus sic discernit: credite mihi: M V L. Vbi? P I E R. Puto tibi de loco constare. Nam addit, *Turpissimum esse unum inueniri episcopum, qui inter hæc duo discernere nequeat.* M I R. Sed dicit hoc contra pontificiorum transsubstantiationem. M V L. Aut loquitur de sacramento, sic dicto specialissime. P I E R. Imo propriissime: quia aliud est sacramentum seu signum; aliud res signata, seu res sacramenti: inter quæ duo etiam tota antiquitas diligentissime distinguit. Sed pergo de doctrina Lutheri, in hoc capite, & 3. sentire me cum illo dico, quando omissa orali manducatione, vrget spiritualement; affirmatque corpus & sanguinem Christi non nisi *spiritualiter, fide nimirum & corde tantum* percipi.

quan-



4. quando asserit securos quidem cibum illum quærere, sed non inuenire, licet sacramento vtantur. N. N. Ergo putas fidem in cælum ascendere, & ibi corpore & sanguine Christi frui?

P I E R. Respondeo ex Luthero, qui dicit: *cum ratio presentibus soleat niti, fides absentia complectitur.* & contra rationem illa præsentia esse indicat. M I R. Non

oportet te excerpere paucula quædam, sed totam Lutheri doctrinam profiteri.

M V L. Ipse Lutherus dicit: *qui non fatentur Iudam tantum accepisse, quantum ceteri apostoli, &c. illos pro iisdem habeo.*

P I E R. Scio ipsum hoc dicere in parua confessione, quam vt & alia ipsius in hoc doctrinæ capite scripta, Confessionem scilicet magnam; & Quod verba adhuc firma stent, forte diligentius, quam alius quisquam legi & euolui. M V L-

L E R V S. Sed, probasné Catechesin illius? P I E R. Quomodo improbarem,

vt qui liberis meis ad illam ediscendam semper author fuerim; eandemque ita distribuierim, vt singulis diebus partem vnã cum explicatione ex illa recitent; & sic singulis septimanis totam



Catechesin semel absoluant? VV V R-  
 TZENS. SVP. Bene, maneāt in hoc ex-  
 exercitio. MVL. At in Catechesi illa dici-  
 tur, *nos sub pane & vino manducare & bi-  
 bere corpus & sanguinem Christi.* PIER.  
 Phrasis illa intelligenda est non locali-  
 ter, sed sacramentaliter. HVN. Sed hic  
 quæritur, quid significet, *sacramentaliter.*  
 PIER. Significat analogiã signi ad rem  
 signatam. MIR. In eadem Catechesi  
 de Baptismo dicitur, quod *liberet a pecca-  
 to, morte, & Satana:* probasne illa verba?  
 PIER. Cur improbem? Tamen sic in  
 nostra consideratione de exorcismo col-  
 legimus: *Baptismus liberat a Satana; Ergo  
 non exorcismus.* MIR. Sed non tantum  
 instrumentaliter, verum etiam effectiue.  
 PIER. Imo, effectiue; quia Spiritus san-  
 ctus vere in illo est efficax. Sed sacra-  
 mentaliter, vt dixi, istæ phrasæ sunt in-  
 telligendæ: quod si fiat, omnes etiam  
 alias sacramentales locutiones, quæ-  
 cumque in Luthero occurrunt, admit-  
 tere possum. Et certe id fieri debere ipse  
 Lutherus innuit: *Recte, inquit, dicitur: qui  
 videt, tangit, premit, terit panem; eum vide-  
 re, tangere, premere, terere corpus Christi, cum*  
*tamen*



tamen nihil horum corpori Christi accidat,  
sed pani. MVL. Idem adhuc docemus  
in nostris ecclesiis. PIER. Sed addit  
Lutherus; *de corpore tamen ista omnia præ-*  
*dicari ratione sacramentalis unionis.* MIR.  
MVL. HVN. & alii; Non potes pro te  
allegare Lutherum, vt qui contra Calui-  
nistarum errores semper, dum halitum  
trahere potuit, acerrime disputauit.  
PIER. Rogo vos Domini, si omnino  
mecum conferre constituistis, vt vnus  
aliquis vestrũ colloquutoris partes susti-  
neat: id vero antequam fiat, rogo vestra  
nomina. Tu ne es Hunius? HVN. Sum.  
PIER. Bene est; scias me tui in publico  
auditorio honorificam fecisse mentio-  
nem: te nimirum doctissimum esse o-  
mnium illorum, qui nunc contra dictos  
Caluinistas ex vestris scribunt. HVN.  
Ego vero istam laudem mihi non arro-  
go. MIR. Concedamus ergo Dn. D.  
Hunio conferendi partes: sed dispute-  
tur placide. PIER. Quo placidiores  
vos præstiteritis, eo plus apud me effe-  
ceritis. Meum enim ingenium tale est,  
quod vim minantibus non cedit. HVN.  
Placide ergo tecum conferam. MIR.



constituatur certa thesis. H V N. Dice-  
 bas antea, *Christi ascensionem factam esse  
 localiter & circumscriptive*: quomodo hoc  
 probabis? putasne, Christum localiter  
 in cælo contineri, ita vt sit in certo cæli  
 loco, non quidem alligatus, sed libere,  
 vt soletis vos explicare? Quod si ita ef-  
 set, non in his terris præsens esset.  
 P I E R. Ascendit *vere*, secundum hu-  
 manæ naturæ proprietatem relinquen-  
 do terram, & sursum ascendendo in cæ-  
 lum. Et symbolum nostrum dicit: *A-  
 scendit in celum*. Vos monstrate contra-  
 rium, quod iterum è cælo descenderit.  
 N. N. Ipse dicit; *Ego vobiscum sum*. P I-  
 E R. Loquitur de persona sua, & vere  
 nobiscum est, sed, *secundum diuinitatem*.  
 N. N. Ergo dimidius Christus nobis-  
 cum est. *Persona certe constat ex duabus na-  
 turis: Ergo, secundum utramque naturam  
 præsens est*. P I E R I V S. *Persona Christi  
 pro nobis mortua est: Ergo secundum utram-  
 que naturam*. Vide qualis consequutio.  
 H V N. At discrimen est inter has prædi-  
 cationes. Nam, Christum mortuū esse,  
 pertinet ad primum genus communi-  
 cationis idiomatū: præsentem esse, per-  
 tinet



tinet ad tertium. P I E R. Vtraq; propo-  
 sitio, *Deus est mortuus*: & *homo Christus est*  
*omnipræsens*, est explicanda per com-  
 municationem Idiomatum: hoc est,  
 quod de persona dicitur, secundum al-  
 teram & alteram naturam intelligēdum  
 est. H V N. Non ita; sed hæc propositio,  
*Deus est passus*, intelligitur de persona se-  
 cundum alteram naturam tantum. Hæc  
 vero, *Christus præsens est*, de persona se-  
 cundum vtramq; naturam. P I E R. Quæ  
 est igitur ratio diuersitatis? H V N. Hæc  
 est: vere filius Dei mortuus est; sed in  
 proprietate humanæ naturæ, seu carne,  
 vt Petrus loquitur, non secundum diui-  
 nam naturam. P I E R. Ergo non con-  
 sentitis cum Andrea musculo. N. N.  
 Illene diuersum sentiebat? P I E R. Et  
 alii ex vestris. H V N. Dilabimur a pro-  
 posito. P I E R. Pergat ergo reuerenda  
 tua dignitas. H V N I V S. Omnipræ-  
 sentia prædicatur non tantum de diui-  
 na, sed etiam de humana natura Chri-  
 sti. Ratio est: quia in λόγῳ est, non extra  
 λόγον, ita vt nulla duarum naturarum fie-  
 ri possit separatio. P I E R. Scio hanc  
 tuam esse phrasin: *humana natura as-  
 sumpta est in λόγον*: Sed noua est, ego malo



dicere, ἀ λόγῳ. H V N. Hoc tu publice docuisti, sed male; quia Athanasius dicit: *Vnus est Christus, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* P I E R. Sed Athanasius in Symbolo suo hoc intelligit de vnione duarum naturarum in vnam personam. Si igitur Reuerenda tua dignitas per assumptionem humanitatis in λόγον etiam intelligit vnionem personalem, facile tibi illam phrasin concesserim: verum aliud vis. nempe, *Humanam naturam omnipræsentem esse*; quia in λόγον, qui non est locus, assumpta est. H V N. Hoc ipsum sequitur. Nam cum humana natura in λόγον, qui localis non est, assumpta sit, & λόγος non sit extra humanam naturam; sequitur, λόγον non extra carnem, sed cum carne sua, hoc est, Christum secundum vtramq; naturã præsentem esse. P I E R. Si intelligis λόγον non esse extra carnem, scil. personaliter, concessero: sin. essentialiter, minime. Ratione enim personalis subsistentiæ, hoc est, quatenus vna illa persona in duabus subsistit naturis, λόγος nusquam & numquam est extra carnem: hoc est, nusquam & numquã λόγος est, &



est, & subsistit absque carne sua, seu non incarnatus: Ratione vero essentia, λόγος est totus & intra, & totus extra carnem suam. H V N. At essentiam Deitatis in persona Christi negantis, dogma fuit. M V L. Ita. P I E R. Non separo, sed distinguo. Etsi enim persona nō est, nec esse potest sine essentia; aliud tamen est persona, aliud essentia. Nam essentia est substantia sine certo subsistendi modo considerata: Persona vero est peculiaris ille subsistendi modus. Iam vero cum unio facta sit non in essentia seu natura, sed in persona; dico etiam ratione non essentia seu naturæ, sed ratione personæ λόγον numquam & nusquā esse extra carnem assumptam: quia persona est medium unionis. M V L. Quid, medium? P I E R. Sic est: quia mediante persona τὸ λόγος facta est duarum naturarum unio, ita ut una sit λόγος & carnis assumptæ personalis subsistentia. λόγος enim immediate sibi uniens humanam naturam, eandem etiam diuinæ suæ naturæ mediate, hoc est, persona sua mediante uniuert. Cum ergo una sit vtriusque naturæ ἑνωσις, & humana natura extra personam λόγος non



subsistat; recte dicitur, λόγος cum carne sua,  
 seu, non extra carnem suam ubique præsens  
 esse. Aliud vero est, cum de utriusq; na-  
 turæ essentia quæritur. Tum enim λόγος  
 ratione essentia, seu naturæ suæ diuinæ  
 non est in corpore circumclusus & fini-  
 tus, sed est totus in corpore, totus extra  
 illud: Humana vero natura ratione suæ  
 essentia est & manet finita & circum-  
 scripta. H V N. Sed cum λόγος non sit lo-  
 calis, Ergo neque humana natura, quæ  
 in λόγον assumpta est, localis fuerit. P I E R.  
 Eodem modo sequeretur: Humana na-  
 tura est æterna, est Deus: quia in λόγον, qui  
 æternus est, assumpta est. Non autem  
 valent huiusmodi consequutiones; quia  
 quocumque modo syllogismum forma-  
 ueris, semper erunt quatuor termini.  
 H V N. Imo eadem vis est argumenti,  
 quæ etiam huius: *Elias est in celo: In Elia  
 est anima: Ergo eius anima est in celo.* P I E.  
 Et in hoc syllogismo sunt quatuor ter-  
 mini. Aliud enim est esse Eliam, aliud a-  
 liquid in Elia. Quod autem ex præmissis  
 conclusio vera sequitur, id fit ex accidē-  
 te, non ratione syllogismi legitime con-  
 texti. Quæ autem per accidens fiunt, il-  
 la non



la non sunt curæ arti. H V N. Tamen tu ipse es ita argumentatus: *Christus secundum corpus ascendit in cælum: Ergo non est in terra.* Omisisti vero maiorem propositionem; quæ si addatur, mox apprehendetur vitium. P I E R. Formo inde syllogismum, qui tres tantum habet terminos: *Qui secundum corpus est in cælo, is secundum idem corpus non est in terra: Christus secundum corpus est in cælo. Ergo, &c.* H V N. & N. N. Probetur maior.

P I E R. Probate vos, quod *secundum corpus* sit & in cælo, & in terra. H V N. Affirmanti incumbit probatio: tu affirmas, Ergo, &c. P I E R. Imo ego nego; vos affirmatis Christum secundum corpus nõ tantum in cælo, sed in terra, & ubiq; esse; Ergo vobis hoc probãdum est. Sed quia diuerso respectu intelligi potest, affirmantis esse probare, & quia ita vobis placet, probo maiorem: *Verum humanum corpus non est in pluribus locis simul & semel.*

H V N. & N. N. Probetur & hoc. P I E R. Certe, corpus constans certa quantitate, membrorum symmetria, figura & lineamentis, quale etiam est corpus Christi, non esse potest ubique. N. N. Et hoc



probetur. MIR. De corpore humano siue nostro hoc quidem verum est.

PIER. Etiam de Christi, quod probat historia incarnationis & natiuitatis eius; quia conceptus est in vtero Mariæ, non alibi, & ex eadem natus est. HVN.

Distinguendum hic inter terminum in quo, & terminum ad quem. Terminus in quo, conceptionis, est vterus Mariæ virginis, in quo vere conceptio facta est: sed terminus ad quem, est exaltatio ipsius humanæ naturæ, per vnionem personalem in λόγῳ, quo respectu in loco esse dici nequit.

PIER. Vt cumque distinguatis, certa in ipsa quoque vnione, quæ non tollit distinctionem naturarum & proprietatum, humana natura est finita; diuina, infinita. Quare ad definitionem vnionis hypostaticæ, tamquam ad Cynosuram, in hac controuersia semper nobis est respiciendum. HVN. Non diffitemur Christum secundum humanam naturam in se consideratam, esse certæ quantitatis: Et sicut Enoch & Elias habent certam staturam & quantitatem corporis, sic etiam ipse: sed quia eadē humana natura euecta est ad dex-

tram



tram patris, localis & circumscripta esse non potest. PIER. Accipio quod datis; Christi corpus habere certam quantitatem: quod vero ratione exaltationis ad dextram Dei idem corpus factum sit illocale, id probandum vobis est. HVN. Negari non potest, Christum secundum humanam naturam tantum euectū esse ad dextram Dei. PIER. Non humana natura tantum, sed Christus *θεῖς ὁπωπιος* euectus est, & sedet ad dextrā Dei. N.N. Ergo secundum vtramque naturam.

PIER. Maxime. HVN. Exaltatio intelligenda est de humana natura; quia diuina exaltari non potest. PIER. Scilicet absolute: interim tamē idem Christus, qui se exinaniuit, etiam est exaltatus. Cum enim esset in forma Dei, exinaniuit se, <sup>m</sup> exaltatus est, &c. Philip. 2. HVN. Hoc non ita intelligendum est, quasi de maiestate humanæ naturæ; qua maiestate, ratione vnionis, ipsa donata & exornata fuit, aliquid decesserit; sed intelligendum est respectu nostri: quia tempore exinanitionis illa maiestas reſta fuit, dum Christus illam non vsurpauit. PIER. Libenter concedo, Chri-



stum maiestatem suam tempore exinanitionis non exercuisse, sed gloria & potentia sua se ad tempus quasi abdicasse: verum non loquitur Apostolus de humanæ naturæ, sed de personæ exinanitione: neque etiam per formam *serui*, intelligit proprie naturam humanam, sed statum & conditionem seruilem: licet nonnulli ex dictis Calvinistis, de ipsis naturis earumque vnione hunc locum intelligant, cum quibus tamen hic nō sentio. M V L. Si hac in parte ab illis recedis, cur etiam non in reliquis? P I E R. Non omnes explicant ita; sed idem dicunt quod ego; Christum nempe, licet verus Deus fuerit, eiusdemq; cum Deo patre gloriæ, & potentiæ, tempore tamen humiliationis se non vt Deum gefisse, neque gloriam suam iuinam manifestasse, sed seipsum exinanuisse, & vt seruum humilem ostendisse. H V N. At Christus secundum diuinam naturam non exinanitus est, nisi dicere velis, eum secundum eandem quoque mortuum esse; quia addit Apostolus, *quod sit patri obediens factus usq; ad mortem*. Exinanitus ergo est secundum humanam naturam

ram



ram, dum ea maiestatem suam non exercuit, & secundum eandem quoque est exaltatus. PIER. Mori vere est proprietas humanæ naturæ; sed obedientia ad mortem usque est officium personæ, quod exsequitur secundum utramque naturam. Secundum humanam naturam mortuus est Christus; secundum divinam voluit hanc mortem dum potentiam suam non exercuit, neque a natura humana mortem reuit, ut in ea pati posset. Vnde illud Irenæi: *Requiescente verbo, ut posset tentari, & inhonorari, crucifigi & mori.* HVN. Tu conditionem seruilem restringis tantum ad tempus passionis & mortis. PIER. Imo ad totum statum exinanitionis seu humiliationis Christi refero. NN. Sed differunt humiliatio & exinanitio. PIER. Large vtor his vocabulis, dum vtrumque pro eodem accipio. HVN. Humiliatus est Christus in humana natura, & in eadem exaltatus: excelsus enim non exaltatur, sed caro exaltatur excelsi. PIE. Excelsus seu Deus, non exaltatur, scilicet absolute consideratus, aut non incarnatus; sed respectu incarnationis: hoc est,



Christus θεῶν ὁμοιωτός exaltatus est. H V N. At humana sua natura ascendit in cælum ad dextram Dei. P I E R. Cyprianus inquit: *Ascendit in cælum, non ubi verbum Deus antea non fuerat, sed ubi verbum caro factum antea non sedebat.* Auditis hic, Christum θεῶν ὁμοιωτόν ascendisse, & ad dextram Dei sedere. Et ipse Lutherus sessionem ita explicat, ut dicat, quod nudo homini tanta dignitas conferri; nudus vero homo eam non accipere potuerit: ideoque inde euinci, Christum ad dextram patris sedentem, & Deum & hominem esse. H V N. Verum hoc est personam illam, quæ Deus & homo est, sedere ad dextram Dei: sed quæritur hic, secundum quam naturam Christus maiestate illa, quam ab æterno habuit, in tempore donatus sit, dum ad dextram Dei est euectus? Et respondetur, quod secundum humanam. Secundum illam enim est excitatus ex mortuis, & collocatus ad dextram patris in cælestibus. Ephes. I. P I E R. Loquitur Apostolus de persona. H V N. Sed ascendit ut sedeat ad dextram patris, ut impleret omnia, &c. Quæro igitur, cum secundum huma-

huma-



humanam naturam Christus ascenderit, quò ascenderit? PIER. In illum locum de quo promisit: *Vado paraturus vobis locum*, Ioan. 14. HVN. Sed ascensione sua euectus est ad cælestem dignitatem, & collocatus est ad dextram Dei. PIE. Scio; sed distinguo inter ascensionem & sessionem: Ascensio quæ semel tantum facta est, proprietas est humanæ naturæ. Sessio vero, quæ durat perpetuò, est personæ. HVN. Vbi igitur sedet ad dextram Dei? PIER. In cælo, in cælestibus, vt scriptura & symbolum habet. Et Stephanus stans in terris, vidit Christum in cælo stantem ad dextram Dei. HVN. Sed estne dextra Dei in cælo tantum? PIER. Ubique est. HVN. Cur igitur Christum corpore suo in cælo tantum asseris? PIER. Sicut Deus ubique est, & tamẽ in cælo esse dicitur; quia ibi gloriam, potentiam, maiestatem suam immediate patefacit: sic etiam dextra Dei. HVN. At si dextra Dei non tantum in cælo, sed ubique est. Ergo etiam humana natura ad dextram Dei sedens, infinita maiestate ornata est. PIER. Non ex vna voce (*dextra Dei*) sed ex tota phra-



si, *sedere ad dextram Dei*, est argumentan-  
 dum. Alias enim & valebit hæc conse-  
 cutio: *Dextra Dei est incorporea, æterna: Er-  
 go etiam humana talis est.* H V N. At quid  
 per phrasin illam intelligis? nonne quod  
 regnet æquali cum patre gloria & po-  
 tentia? vbi vero regnat? nonne in eccle-  
 sia? P I E R. Maxime. H V N. At si in  
 ecclesia, solummodo. P I E R. Non dixi,  
*solummodo.* H V N. Quomodo debella-  
 bit hostes ecclesiæ? Sessio enim hæc ita  
 describitur Psal. 110. quod dominetur  
 in medio inimicorū: Hostes ergo cum  
 sint etiam extra ecclesiam, ibi quoque  
 dominatur. P I E R. Concedo hoc; quia  
 ipse Apostolus 1. Cor. 15. sessionem in-  
 terpretatur pro, *regnare.* Et Act. Petrus  
*sedere ad dextrā patris* interpretatur, Do-  
 minum & Christum constitutum esse.  
 N. N. Ergo hoc vis quod alii dicunt,  
*Christum sedere ad dextram patris*, id est,  
*esse regem & sacerdotem ecclesiæ.* P I E R. Id  
 volo. H V N. Sed etiam extra ecclesiam  
 regnat, vt iam dictum est. P I E R. Eo  
 ipse quod rex appellatur, etiam regnum  
 quod in hostes habet, exprimitur. Non  
 enim tantum per ministerium verbi &  
 sacra-



sacramentorum in virtute Spiritus sui ecclesiam colligit, sanctificat, & ad vitam æternam regenerat: sed etiam impios punit, hostes debellat, & conatus eorum infringit; imo in æternum illos iudicabit. **MVL.** In hac vita illos iudicat; in altera vero vita ipsius regnum, & iudicium desinet; quia tradet regnum patri. **PIER.** Et in futuro seculo impios iudicabit, & pœnis æternis eos afficiet, Matt. 25. Regnum vero traditurus est patri, non quod omnino regno & imperio sit se abdicaturus, sed quod mediis, quibus in hac vita utitur, non sit vsurus aut ecclesiam collecturus? Non enim necesse erit, ut tunc per verbum & sacramenta ecclesiam colligat; fidem & spem in nobis excitet & foueat; hostes a nobis depellat; patrem suum pro nobis deprecetur: sed tamen manebit caput nostrum, Dominus noster, suaque luce, iustitia, gloria, lætitia & vita æterna nos perfundet, eritque Deus omnia in omnibus. **HVN.** Sed reuertamur ad propositum: Regnum Christi etiam extendit se ad hostes extra ecclesiam, & requirit infinitam potentiam: Cum ergo etiã Chri-



stus regnet in medio inimicorum secū-  
 dum humanam naturam, sequitur eam  
 infinita maiestate, quam vbiq̄ue exerit,  
 ornatam esse. P I E R. Concedo huma-  
 nam naturam ad regni consortium eue-  
 ctam esse, sed non sola regnat. Sedere e-  
 nim, & regnare, est officii, quod compe-  
 tit Christo secundum vtramq̄; naturam.  
 N. N. Sedere & regnare est maiestas do-  
 nata humanæ naturæ, & non pertinet ad  
 secundum, sed ad tertium genus com-  
 municationis idiomatum. P I E R. Est  
 officii. Neque enim Christus tantum se-  
 cundum humanam, sed etiam secū-  
 dum diuinam regnat naturam. H V N. Sed  
 vna est, & quidem diuina & infinita Ma-  
 iestas, ad quam exaltata est humana na-  
 tura, & quam in administratione rerum  
 omnium gloriose exerit. P I E R. Quid  
 vero intelligitis per Maiestatem? Erit  
 illa vel diuinitatis, vel humanitatis, vel  
 tertia quædam. At quæritur inter nos,  
 non de Maiestatis, sed de substantiæ car-  
 nis præsentia: Hæc probanda est. Aliud  
 est caro, aliud maiestas. H V N. Sed cum  
 humana natura ad dextram Dei eleua-  
 ta, particeps facta sit diuinæ maiestatis,  
 etiam



etiam ratione maiestatis huius gloriose regnat, & potenter omnibus creaturis imperat, non absens, sed præsens. PIER. Numquam mihi persuadebitis, regnare esse humanæ naturæ tantum. Regnat Christus secundum vtramque naturam, sed seruato ipsarum naturarum & proprietatū discrimine. Sicut enim in Christo sunt duæ naturæ, ita duæ sunt naturales voluntates; duæ naturales actiones, quemadmodum in Synodo Oecumenica Constantinopolitana sexta contra Monotheletas decretum fuit. HUN. Quomodo vero Christus ad Maiestatem illam euehi & exaltari secundum diuinam naturam potuit, cum ab æterno illam habuerit? PIER. Nō absolute, & ratione essentiæ diuina natura est exaltata, sed relatè, & ratione manifestationis, quatenus videlicet se in humana natura exerit, & radiis suis in illa quasi lucet. Erat enim Christus tempore humiliationis suæ in oculis Iudæorum non vt Deus, sed vt homo, iudicabant illum *φιλὸν αὐτῶν*, vt Apostolus ad Corinth. testatur. *Si cognouissent, Dominum glorie non crucifixissent.* Verum per resurrectionem



ex mortuis, & per Sessionē ad dextram patris, apparet ipsum esse Dei filium, non nudum hominē: quia diuinam suam potentiam sub velo carnis antea tectam & occultatam, nunc plene & gloriose in eadem carne exerit & manifestat, ita vt non tantum homo, sed etiam Deus esse agnoscat. **P R Æ F E C T V S** **V I G I L.** Dn. D. cibus est paratus, & sextam iam dudum audita. **M I R.** Et vix de vno articulo aliquid dictum: Agnosce, quæso, errorem, & tui ipsius habeas rationem. **P I E R.** Erroris nullius per Dei gratiam mihi sum conscius. **M V L.** Et ego totos viginti in hac charta notatos habeo. **M I R.** Si doctrina vestra recta est, quare ergo clam illā propagare studuistis? Habemus literas Salmuthi in Museo tuo repertas, quibus monet, (legebat partem literarum) vt quam publice rem agas, ante præcipuorum senatorum & ciuium animos occupes, & caute omnia agas. Et ipse quidem Salmuthus primo aiebat, quemadmodū & tu, quod eandem doctrinam semper esset professus: verum cum Dominus noster clementissimus has illi literas exhiberi mādasset,



dasset, certe confundebatur. PIER. Literarum Salmuthi scopus est de adhibenda moderatione, ne causam magno impetu agentes, animos auditorum profus a nobis abalienemus, &c. Verum ut ut fit, quando ego literis illis clandestine, ut vos interpretamini, doctrinam propagando obtemperavi? ino obtemperare nolui: sed publice in templo & collegio hanc doctrinam professus sum. Numquam probari poterit, me in aedes senatorum aut civium, ad doctrinam hanc priuatim illis instillandam, umquam venisse: nullus civium hoc de me affirmare poterit. Et licet fecissem, non peccassem: verum occupationes meae grauiiores hoc non tulerunt: ideo publice hanc doctrinam quam primū huc veni, proponere cœpi. MVL. Imo ciues contenti sunt prima ista tua, quam de Cæna habuisti, concione: fuit enim Lutherana, ipse eam vidi. PIERIVS. Quare ergo a Diaconis traductus sum ut Calvinista? N. N. Factum illud propter concionem de Ascensione. PIERIVS. Imo propter vtramque, eodem anno primo aduentus mei habitam, exosus fui to-



tifere ciuitati. M V L L E R. Cauſſa fuit, quia a formula Concordiæ reſceſſeras.

P I E R. Quando Principi Electori meam addixi operam, non fui obligatus ad Concordiam illam, ſed ad ſcripta dumtaxat Prophetica & Apoſtolica, ad tria ſymbola, & ad Auguſtanam confeſſionem. His etiam contrarium nihil quidquam docui. M V L. Sicne ergo in obligatione tibi cautum fuit? M I R. Poſt mortem Auguſti nemo ad formulam Concordiæ adſtrictus fuit. P I E R. Præterea ex ipſo etiam Luthero, doctrinam quam de perſona Chriſti confiteor, demonſtrare poſſum. M I R. Id vero oportet vt non ex vno atque altero dicto hinc inde collecto, ſed ex illis locis facias, vbi hanc doctrinam expreſſe tractauit.

P I E R. Ita. Prouoco ergo ad explicationem ipſius Ioan. 14. ſuper verba; *Et ego rogabo patrem, &c.* Vbi prolixè, & euidenter hanc materiam explicat. Sic eandem egregie tractauit de vlt. verbis Dauidis, item Eſai. 53, & Daniel. 7. M V L. Audite, eadem citat loca quæ etiã quaſtor, non aliter ac ſi inter ſe contuliſſent.

P I E R. Hoc tamen addo, ſi alicubi habet

bet



bet ἀκυρολογίας, eas potius dextre explicandas quam temere arripiedas esse: ut cum *mixtionis* vocabulo patrib. vsitatū, utitur pro *unione*, & si quæ sunt alia. Quæ vero in Polemicis habet, non possum probare omnia. Ut cum inquit, *Cælum & terram unum esse saccum, quem Christus etiam secundum carnē impleat.* M V L. Non credo exstare in Luthero. P I E R. Imo exstat in Polemicis, & alia huius generis multa. M V L. Quidquid feceris, fac nobis missum Lutherum. P I E R. Non is sum, qui tantum virum contemnā: imo etiam vos sinam, si me Deus iterum ecclesiæ alicui præfecerit, quæ me ita occupatum reddet, ut vestri facile obliuisci possim. Sed rogo vos; Domini, legite Lutherum in dicto loco super Ioannem. H V N. Legimus. M I R. In vlt. verb. Davidis explicat se, quod Iesu Nazareno secundum humanam naturam, omnis potestas data sit, quia secundū diuinam habuerit illam ab æterno. P I E R. Notus est mihi locus, & concedo Christo incarnato datam esse omnem potestatem. M I R. Omnia illi subiecta sunt; quia scriptū est: *Omnia subiecisti pedibus ipsius.*

C



1. Corinth. 15. P I E R. Sed addit Apostolus, *Excepto illo qui subiecit ei omnia*. Manet ergo humanitas sub Deo: neque tamen nego, illam ornatam esse multis excellentibus donis & prærogatiuis, cum ratione vnionis, tum officii, &c. de quibus tibi Dn. D. Mire constat, ad cuius concionem alludam. M I R. Ita. M V L. Bene certe fieret, si D. Mirus consentiret tecum, & nos reliqui excluderemur; P I E R. Dn. Mirus rectius me intelligit. quia cum ipso ante hac multum contuli. M I R. Sed in doctrina de Cæna plane recedis a Luthero. P I E R. Non plane, vt antea a me est expositum. At cum dictis Lutheranis me de Cæna consentire non posse, ingenue fateor. Cum quibus enim sentirem, quando ipsi inter se maxime dissentiant? Septem ex ipsorum libris possum vobis monstrare opiniones dissentientes. M I R. Illas ego libenter audirem. P I E R. Primo dissentiant de ipsa carnis & sanguinis Christi in pane & vino, præsentia. Alii enim ad recitationem verborum, *Hoc est corpus meum*, præsentiam restringunt: alii etiam ante, & post recitationem illam, corpus in pane esse



esse affirmant. M V L. In tota actione  
Christus præsens est. P I E R. De hoc  
non est quæstio. Et vos nunc hoc qui-  
dem ita explicatis; sed ego ex libris ve-  
strorum monstrabo vobis & de tempo-  
re præsentiaæ controuerfiam, & alias in-  
ter se pugnantes opiniones. M V L. Imo  
Caluinistæ habēt opiniones inter se pu-  
gnantes. P I E R. Minime; quia excusat  
Sacramentarios, quos vocant, ipse Lu-  
therus; affirmatque de re ipsa vnum &  
idem illos sentire, licet non iisdem vtan-  
tur verbis. Signum esse, idem est (dicit)  
quod significat; & significat idem, quod  
signum esse. M I R. At ego libetèr audirè  
septē illas discrepantes sententias. P I E.  
Tamen audire nolunt. M V L. Defendis  
Caluinistas. P I E. Si quis me Caluinistã  
fecit. H V N. Audite, iam fatetur se Cal-  
uinistã. P I E R. Non fateor, dico, si quis  
me. M V L. Agnosce errorè. P I E R. Non  
auditis me. M V L. Et sicut Gunderman-  
nus fecit, & reuocauit, sic tu quoque fa-  
cias. P I E R. Si reuocauit, Deus illum  
grauissime puniet, nisi pœnitentiam e-  
gerit. M I R. Et M. David fatetur erro-  
rem suum, & conqueritur se grauissimos  
sentire dolores. P I E R. Errorem agno-



scere nō possum; quia nullius conuictus sum. H V N. Tamen nos te iam conuicimus. P I E R. Id vero pernego. Scitis Constantinū M. Imp. in Synodo Nicena proposuisse episcopis sacra Biblia, & mādasse vt ex illis sumerēt controuerfarum quęstionū explicationes: illud vos quoq; facite: sed hactenus nihil fere ex verbo Dei audiui, nisi meras consequentias vestras. H V N. Tales tuæ fuerunt. P I E R. At ego ad omnia a vobis proposita, respondi. N. N. Respondisti quidem, sed non soluisti. P I E R. Iudicent hoc alii. M I R. Expendas illud Christi, Ioan. 17. *Glorifica me pater ea gloria quā habui, antequā, &c. sed secundum diuinam habuit: Ergo secundū humanam accepit.* P I E R. Loquitur de persona; & petit vt gloria ipsius in statu humiliationis hactenus occultata, post passionem & mortem per resurrectionem ex mortuis plene iterum emergat & reueletur. H V N. Loquitur quidem de persona, sed secundū humanam naturam se gloria illa ornari petit. P I E. Si secundum humanam naturam se glorificari petit, ergo secundum eandem quoq; gloriam illam ab æterno habuit; quia



quia dicit, *quam habui*. Videte qualia inde sequatur absurda. Ex verbo igitur, ex verbo probate vestra. Ego sane in conscientia mea magis confirmatū me sentio, tantū abest vt in vestram me pertraxeritis sententiam: imo certissimū sentio in corde meo Spiritus sancti de veritate, quam profiteor, testimonium. Quo enim magis premor, eo etiam magis in veritate confirmor. MVL. Diabolus etiam suos habet martyres. PIER. Non sum martyr Diaboli. Is enim est pater mendacii, neq; potest me de agnita veritate, perseuerantia & salute mea confirmare: sed SS. perhibet testimonium spiritui meo, quod sim filius Dei: ac proinde nolite gloriari quasi a vobis sim conuictus. HVN. Si negaueris tibi errores tuos a nobis monstratos esse, verum esse dixero quod de te audiui. PIER. Quid vero illud est? HVN. Te nullius conscientia hominem esse. PIER. Imo vt bonam mihi retinere liceat conscientiam, hanc duram captiuitatem perfero; vxorique, liberis, bonis omnibus, & mihi ipsi renuncio. MVL. Ita causam tuam non reddes meliorem, si perseuerare, vt



cœpisti, volueris. P I E R. Spero clementiss. meum Principem non grauaturum esse meam conscientiam. M V L. Neque faciet. P I E R. Hoc tu Dn. D. mihi etiam ante hac de illius Celsitudine promifisti: imo addidisti, ipsius Celsitudinē propter religionem, carcere punire neminem. M V L. Sic est. P I E R. Quid vero hoc rei est? promittitis mihi liberationem, si reuocauero: sin, grauiores pœnas denuntiatis. Itane permittitur mihi libera conscientia? M V L. At si te nobis dares, effemus pro te intercessuri, & hoc Dei in te miraculū depredicaturi: si vero nolueris nobis obtemperare, aliæ contra te proferentur carceris causæ. P I E R. Quæ vero sunt illæ? Sedi iã in hoc carcere septimanas xxxvi. essent mihi certe tandem causæ carceris indicandæ. M V L. Nuper tibi illas Dn. Cancellarius exposuit. P I E R. At nulla producta fuit; quin illam a me remouerim, & vobis innocentiam meam probauerim. Imputabatur mihi inter alia, me plagium commisisse in Catechesi Lutheri Lipsiæ recusa. At respondi, neq; me conscio, neq; suafore, multo minus auctore Catechesin illam  
 excu-



excusam esse. Sic etiam res se habet de aliis mihi obiectis. MVL. Imo constat te deprauasse Catechismũ Lutheri. PIER. Numquam hoc probabitur. MVL. Tu videris. HVN. Precor tibi mentem meliorem. PIER. Eam ego tibi precor. MIR. Bene vale. PIER. Et tu. Mi Dn. D. crede mihi, si conuincerer in conscientia mea de vlllo errore, certe non tantum agnoscerem illum; sed darem Deo & verbo ipsius gloriam, & reuocarem: sed quam sum certus, Iesum Christum Dominũ & Saluatorem meũ viuere, tam etiam sum certus me habere doctrinæ veritatem, & paratus sum illã vel in publica disputatione, vel libero colloquio defendere. HVN. Tamen iam auditus es. PIE. At hoc audire nihil est. Si legitime me audire volueritis, non vnus atq; alter dies, sed vix spacium quatuor septimanarũ (vrgebo enim mea ex verbo Dei) nobis sufficiet. MIR. Stans in foribus, tam diu hĩc non manebimus. PIER. Prouoco ergo ad disputationem vel colloquium legitimum, sistite me liberum. (Sic discessum.)

F I N I S.



*[Faint blue ink scribbles]*

*[Faint blue ink scribbles]*

*[Faint blue ink scribbles]*





**ULB Halle**  
004 977 270


3











B.I.G.

Farbkarte #13



COLLOQVIVM  
LARISSIMO

Vg  
17007

THEOLOGORVM  
TATORVM, CVM D. VRBA-  
no Pierio, habitũ anno M D X C I I,  
die x x i Iulii.

*ona fide ab illo qui interfuit, exceptum.*

VISITATORVM NOMI-  
NA TERTIA AB HAC PA-  
gina ostendet.

Pſalm. x x x v, v̄. 4.

fundantur & reuereantur quærentes  
animam meam: auertantur retrorsum, &  
confundantur cogitantes mihi mala.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

clo Io xcIII.

